

rok 1763.

August III Król

Copia rescripti ad status Ducatum
Curlandiae et Semigaliae, Varsaviae
15 Aprilis 1763.

XVIII.3.159




COPIA RESCRIPTI

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS

AD STATUS DUCATUUM CURLANDIÆ & SEMIGALIÆ

EMANATI

AUGUSTUS III. DEI GRATIA &c.&c.



Generosis Supremis Consiliariis, præsertim Landhofmeistero, Majoribus Capitaneis, præsertim Seelburgensi & Mitaviensi, & Minoribus, præsertim Doblinensi, Fravenburgensi, Candiensi, Sehrudensi, & Durbensi, totique generoso Equestri ordini Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ fideliter Nobis dilectis, Gratiam Nostram Regiam.

Generosi, fideliter Nobis dilecti. Ad eum actum devenisse percepimus JOANNEM ERNESTUM de BIRON, unde feudi Possessio statuenda erat, si quid sibi juris ad illud acquisitum habuisset, ab ea nempe homagii præstatione, quam post spatium viginti duorum annorum à fidelitatibus Vestris Eundem quærere intelleximus. Concessimus quidem Anno 1739. benevolæ petitioni pié defunctæ gloriosissimæ memoriæ bonæ Nostræ Amicæ & foederatæ Imperatricis ANNÆ collationem Feudi Ducatum favore ejusdem JOANNIS ERNESTI; huius autem erat Vasallagii munera implere, non Nostri: sed voluntaria ejusdem ab illis defectio omnem nexum inter dantem & accipientem, inter directum Dominum & Vasallum, præpedivit, ad hanc usque diem; ab horum enim præstatione juris ad feudum acquisitio dependebat. Recuperata tamen licet contra omnem expectationem

ou

ab

ab ipso libertate una cum bonis suis in Curlandia al-
lodialibus ad hæc revertendo, crimini eidem haud
vertissemus, quod usus fuisset intercessione apud Nos
circa feudum Sacræ Imperialis Maiestatis CATHA-
RINÆ feliciter regnantis, vel quod ex subditis No-
stris invenirentur, quos æque parum puderet illius
prætensorum jurium fautores, quam universo le-
ves & in beneficia Nostra ingrati videri; sed quod ju-
rium omnium immemor, non petita, nec accepta ex
Nobis quavis restitutione, qua saltem omnimodo opus,
fuisset prætenso Vasallo, armis exteris Ducatus ag-
grediatur, tanquam ad subjugandas fidelitates Vestras,
easdemque circa officia munera & juramenta sua vexa-
re, & violentius urgere intentet, hæc sunt, quæ Senatus
ipse, qui maximorum votorum pluralitate, sententia-
rum æquitate, pro Patria, pro juribus, pro libertate
pro Regia Nostra Auctoritate & Republicæ præstantia
distinguitur, nullo modo toleranda esse consuluit, unde
ipsum Ernestum cæterosque fidefragos vocari man-
davimus, reatus gravitatem, ad Comitata usque extra-
ordinaria perducturi; inter ea loco implorandi cle-
mentiam Nostram præfatus Ernestus, sibi suadens
perpetuis armis fidelitates Vestras obstringere ulte-
riores ausus profequitur & necdum adhuc adeptus
ab ipso feudi possessione, nec ad adipiscendam resti-
tutus, quasi ac pro occupatione & usurpatione Du-
catuum homagio Vestro opus haberet, illud a fide-
litatibus Vestris sibi reddi prætendit, & Conventum
ad hoc publicum convocare præsumpsit. Per hunc
met actum ipse non adeptam adhuc feudi Possessio-
nem fatetur, quapropter repugnat rationi, æquitati-
libertati, Juribus & Privilegiis, ut quis ex Fidelitati-
bus Vestris simili convocationi Joannis Ernesti sub
nexu mandatorum Nostrorum existentis, pareat.
Quod superest, ne illi attendant, eisdem universis &
singulis interdiciamus & inhibemus, Auctoritate No-
stra Regia & vigore supremi & directi Domini No-
stri. Sint fidelitates Vestræ fidei, & Juramentorum
suo-

suorum memores, atque Patriæ libertatis, sibi que
inter cætera pro ratione constituent Instructiones,
quas ex conventu publico antecomitiali FRIDE-
RICO WILHELMO de KORFF ad Nos in Comitibus
Regni Anno 1740. Delegato dederunt. Sinant usur-
patorem solum suis pervolvi violentiis, & si metus vel
alia necessitas alicui ex fidelitatibus Vestris sensus in-
cussit a fide alienos, eundem in Paterna Nostra Cle-
mentia confidere volumus. Eam de cætero fidelita-
tibus Vestris gratiam & opem spondemus quæ, a No-
bis & a Regia Nostra Auctoritate dependeat, & de-
pendere possit. Dabantur Varsoviæ die xv. Mensis
Aprilis Anno Domini MDCCLXIII. Regni vero
Nostri XXX. Anno.

AUGUSTUS REX.



Augustus Rex. Anno Domini MDCCLXXII. Regni vero
 Nomi XXX. Anno.

AUGUSTUS REX.



XVIII. 3. 159